

1697.

1. Beckius, Petrus Tudorius: De reparacione danni
dati.
 2. Brinkius, Joh. : Programma de ratione docentis
dique praedictos maxime commoda publicis lectio-
bus permissionem.
 3. Brinkius, Joh. : De rebus territoriali
7. Hukomius, Henricus: Programma lectioibus publicis,
cum territoriali civili non minorum duorum seculorum
implicatur, permissionem.

1698

- 1^a et 2^a Engelbrecht, Georgius: De exemplis . 2 Exempl. 1698: 172.
- 2^a et 3^a Engelbrecht, Georgius: De interesse danni emergentis
et lucri cessantiis . 2 Exempl.
3. Homburgius, Lazarus: Tractis de necessariis studiis
juri civilis administralis, quam proportionem
juri extraordinariam . . . implicantur.
4. Rittermeierius, Christopherus Henricus: Tractis de re diffusa

titularis patologici primi reformati usus
viam sternente.

5. Schreverus, Fredericus: De regulorum sanctitatis
prudenti applicatione

1699.

1. Cypriani, Iuris Salomon: De iure regio.

2nd Engelbrecht, Georgius: De causulis. 2nd edit. 1699 et
1736

3. Homberg, Andreas: Speculum actionum forensium
ad f.t. Institut. Inst. de actionibus . . .

3rd Homborgius, Andreas: Programma de compendaria
juri ciuitatis portuicendi ratione

4. Niemeyer, Ioh. Bartholomaeus: De conjugio cum
noverca, prorogatae prorogas filia duxit
iure predictior.

1699

5. Niemeierus, Ioh. Bartholos; De conjugio ensangue-
neorum, jure divino prohibitiss.

6. Schreverus, Fiducius; De senectutis processione

8.

7

5. 2

1.

169

1.

1. 9

21st
2

3.

3rd
2

4. v.

DISSE^TAT^O MEDICA INAUGURALIS
DE

SENECTUTIS PRÆSIDII

Q V A M

ANNUENTE SUMMO NUMINE
CONSENSU ET AUTORITATE AMPLISSIMI
MEDICORUM IN ILLUSTRI ACAD. JULIA
ORDINIS
P R E S I D E
V I R O C L A R I S S I M O

Dn. FRIDERICO SCHRADERO,
MED. DOCT. E IUSDEMQUE ET PHILOSOPHIÆ
NATURALIS PROFESS. PUBL. ET ORD. FACUL-
CULTATIS MEDICÆ HODIE DECANO
SPECTABILI

Dn. FAUTORE ET PRÆCEPTORE SUO OMNI
HONORIS ET OBSERVANTIAE CULTU ÆTA-
TEM PROSEQUENDO.

PRO LICENTIA
SUMMOS IN ARTE MEDICA, HONORES ET
PRIVILEGIA DOCTORALIA RITE
CONSEQUENDI

PUBLICO ET SOLENNI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOHANN HENRICH BLUME

Medicus Blancoburgensis.

IN MAGNO JULEO
HORIS. ANTE ET POMERIDIANIS
d. V. DECEMBR.

HELMESTADII,

Typis GEORG-WOLFGANGI HAMMII, Acad. Typogr. 1699.

49.

19

1699, 6

SERENISSIMO ET POTEN-
TISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
RUDOLPHO
AUGUSTO,
DVCI BRVNSVICENSIVM ET
LVNEBURGENSIVM,
PATRIÆ PATRI
PIO, BENIGNO, JVSTO,
PRINCIPI AC DOMINO SVO CLE-
MENTISSIMO,
DISPVTACTIONEM HANC IN AVGVRALEM
IN SIGNVM DEVOTÆ MENTIS
AC
OBSEQVII HUMILLIMI
SUBMISSÆ OFFERT
Johann Henrich Blume;



Uod sapientes olim, miseriarum nostra^{rum} consideratione, variis imaginibus
exprimebant, quod communis omnium
querela iterat & persvadet, id Medici præ-
sertim, humanæ miseriæ & infinitarū, ab
infirma corporum nostrorum conditione proficisci-
tum æruminarū spectatores, quotidie intuemur, infir-
mam omnino & instabilem esse humanam vitam.
Tantam nempe morborum catervam, omni hominum
ætati imminere, ut hac quamvis varie mutata, ma-
neant tamen corpora, tot morbis, tot cruciatibus, tot
imbecillitatibus obnoxia, ut omnis ætas, præter illos
omnibus communes, proprios etiam & suo tempera-
mento congruos morbos, experiri cogatur. Est
quippe ætas, illud vita^r spatiū, quo corporis consti-
tu^{tio} ex se & sua sponte, evidentes subit mutationes,
qua^e quidem efficiunt, ut crescens ætas, ab illa dispo-
sitione & propensione, ad morbos infantiles, libere-
tur, & devexa jam in senium à juvenilibus morbis
tutior sit, novis tamen, iisque maximis infirmitatibus
& fastidiis, declivis illa ætas, superato jam meridiano
ætatis circulo, exponatur, quando succedens senectus,
oculorum aciem retundit, aurum sensum heberat,
nervorum firmitatem infringit, & mors ipsa pro-
pior est, dum spirituum ac sanguinis motu sufflam-
nat.

nato ac impedito, s^epe subito & momento interdum
eadem sequitur, animatique solvit.

§. II.

Id ergo, quomodo in singulis sese habeat α tatis
tibus, quomodo nempe, mutato corporis habitu &
temperie, humorum crassi & spirituum activitate,
morborum & mortis periculum mutetur quidem,
non avellatur, Medico spectandum omnino est; quo-
modo α tates omnes, ratione diversitatis tempera-
mentorum & constitutionis corporis, in primis quoad
partes fluidas, quae vim roburque dant solidis, diver-
sis etiam α gritudinibus subjiciantur, & in singulis α -
tibus expositi sint: Sic enim sanitatis custos, Me-
dicus, prævisa mala melius amoliri & ingruentibus
felicius obliuctari ac medelam afferre poterit.

§. III.

Ipsa illa propemodum hora, quæ vitam in hac
luce nobis concedit, corporis multa incommoda, &
vitæ ipsi quam modo accepimus insidiantia nobis cre-
berrime affert, ita ut recens genitorum animulam,,
in tenello hospitio, multis malis tenerrimæ infantiae
propriis exagitari, & infinitis molestiis opprimi, vi-
deamus. Vel levissimus tunc error, adultioribus in-
noculis, & peccatillum, vix etiam sollicitis matribus
advertisendum, quod vel alimenti quantitate exceden-
te, vel qualitate imbecilli stomacho insuperabili, vel
inclemetioris auræ admissione, commissum fuit, non
multis tantum morbis, sed ipsi morti ansam dare
potest. Ob minus validam enim, in hac α tatula visce-
rum structuram, humorum & fermentorum in cor-
pore, vix inchoatam, non dicam imperfectam, exal-
tatio-

cationem & spirituascentiam , digestionis primæ debilitatem, paucas vires in recenti corpusculo explicatas, prona in mōrbos & mortē quoque via est. Et quanquam succedentibus annis, dum succus cibos digerens, & in ventriculo conficiens, majorem vigorem adipiscitur, & in vivida illa ætate, quæ animum hilarem, & corporis crebrius exercitium secum ferre solet, alimenta bene dissoluta, cruditates ita non relinquit, quæ occasionem alias frequentem morbis suggestunt, sanguis suum robur & perfectionem, spiritibus auctis acquirit ; Et hinc tamen s̄æpe, & è sola sanguinis optimi ac laudabilis abundantia & fervore, adolescentibus & juuenibus, damnum imminet, postquam, maxime etiam notanda illa mutatio in corpore contigit, qua accendentibus annis pubertatis, per genitale fermentum, massæ sanguineæ communicatum, novus vigor & motus ipsi inducitur, unde vires intenduntur, & functionibus rite administratis, corpus firmum ac validum fit, periculis multis à causis externis & sex non naturalibus rebus provenientibus, faciliter resistere, & in bona valetudine ac robore suo, per plures annos conservari potest.

§. IV.

Quando autem consistens & virilis ætas postea effluit, accuratissima utut servata Diæta, pedetentim functiones modo hæ, modæ aliæ labefactari incipiunt, officinæ variorum ad vitam sustentandam necessariorum humorum, sensim infirmari, digestiones & fermentationes, (non exactè quidem illis similes, quæ in Chymicorum hypocautis fiunt, sed valetudini conservandæ idoneæ) labefactari, habitus cor-

poris concidere, pristinumque decus ac nitorem
amittere.

Tumq; adeo laffata cutis, fulcis q; genarum

Corruit: — — — Et rugis vetus

Frontem senectus exarat.

Tunc sensus etiam hebescunt, motus ratardatur, vires
omnes infringuntur, & natura tota, quam vocamus,
fatiscere, vigoremque consuetum amittere solet;
langvens ac morbosum corpus trahere Homo inci-
pit, totque molestiis, tot incommodis crebro stipata
senectus exoritur. Nam ut ex Terentii Phormione
didicimus,

Senibus ubi absit morbus, ipsa senecta,
per se mala Valetudo est.

§. V.

Quanquam ergo humana arte senectutem &
quæ hinc metuenda sunt mala, omnino præcavere &
amoliri, non sit integrum, nec in potestate medicæ
Artis positum, ut in sequentibus id clarius elucescat:
Senectus enim, est morbus incurabilis, & inevitabilis
ille vite terminus, non à Deo tantum nobis positus,
sed ex naturalibus pariter causis homini præfixus vi-
detur. Eò tamen præsidia, à Divina Arte medica,
exspectanda se extendunt, ut in solatium & delini-
mentum, molestiarum, quæ imminent, & ad diutius
differenda ultimæ ætatis incommoda, plurimum illa
valeat efficere, multos & graves seniles morbos ar-
cere, spirituum vim atque hinc dependens functio-
num vitalium & animalium robur, diutius tueri, vi-
res conservare, & hoc sensu mortalium vitam exten-
dere. Postulat id ipsum attentam considerationem,

cum

cum ipsius Galeni iudicio, senium; ob debilitatem, omnia mala alias pejora habeat. Exhaurire hoc latissimi campi argumentum, meum non est, nec scopus est. Illis autem, qui è vastitate doctrinæ suæ, fastu comitata, omnia facile alto supercilio despiciunt, nemmo satisfaciet. Faxit Divinum Numen, in quo sumus & vivimus, ut hic quoque labor meus cedat in ipsius gloriam, & in proximi vergat salutem!

§. VI.

Quando, & sub quo annorum numero, ingravescens illa & langvens ætas incipiat, ut senectutis nomen merito ipsi imponatur, non consentientes Autores reperio. Verum ut in genere, certo annorum termino ac numero, circumseribi ætates non possunt; ita nec senilis, saepe non annis, sed viribus metienda. Dividitur alias senectus in viridem, quæ constitutionis saepe satis laudabilis adhuc est, & plerorumque computatione, ab anno L. ad LX., medianam, quæ ab anno LX. ad LXX. & decrepitam quæ ab anno LXX. ad finem vitæ extenditur. Non à certo autem, ut dixi, annorum numero solum, sed & potissimum actionum obeundarum varietate, deduci ac secerni istæ differentiæ debent, cum rarum non sit sexagenarium quinquagenario vegetiorem esse, & vice versa: cum hoc tempore plurimi senectutem malo vivendi genere sibi accelerent, quod in cibis & potibus non unice consistit, sed in reliquo omni vitæ regimine, ad quod animi affectus ante omnia spectant, cum nihil verius & crebrius sit, quam mordaces sollicitudines, tranquillitatis tyrannos, plurimos occidere. Cum ergo triplex fore senectus detur, una ætatis, virium actionumque respectu

respectu, alia annorum numero, non autem virium ratione, alia denique non annorum quidem numero, virium tamen, longo annorum decursu detritarum, talis, de illis agam, qui ex annorum multitudine & virium debilitate senes sunt ; Ut plurimum nempe, cum annorum multitudine in senibus vigor roburq; corporis proportionem habet.

§. VII.

In primis autem considerandum hic est, per gradus quasi imminutam humanæ vitæ longitudinem. Constat quippe è sacra pagina, non paucos annos non gentos vixisse, imo millesimum prope accessisse ; post diluvium vero, nemo quadringentos quinquaginta annos superavit. Quin circa dispersionem gentium, pene in ducentos annos correpta est humana ætas, non multo post denuo centum anni deceperunt, post illa magis magisque vita hominum contracta, ut hodie centesimum vix quisquam annum exsuperet. Accidit autem interdum, excuso quamvis hoc spatio, ut annis pleni, quandoque etiam exsucci & exhausti, vitam diutius protrahant. De quibus longioris vitæ hominibus videri meretur, doctissima D. Meibomii, Fautoris & Praeceptoris mei æternum colendi, Epistola ad Serenissimum Augustum scripta de longævis. Ubi tres quasi annorum vitæ humanæ terminos constituit : primum octogesimum, medium centesimum, ultimum centesimum & vigesimum. Addueens tamen, ex variis Historicorum monumentis, exempla, non primum tantum illum & medium, sed ultimum quoque terminum transgressorum. Et quandoquidem præsidia senilis illius ætatis, quæ si non ad longiorem

giorem, ad commodiorem tamen vitam senilem profint, describere & invenire finis meus est; oportet illa quæ de diæta, vivendi modo, remediis quoque ab ipsis longævis usurpatis, crebrius repetitis, ac salubribus expertis, à longævitatis exemplorum Collectoribus referuntur, sedulo attendere; & evolvi utiliter hic poterit, Euseb. Nieremberg. in Hist. Nat. Theod. Zvingerus in Theatr. vit. human. Bartholinus histor. anat. rar. Cent. V. hist. 28. ubi Thomam Parre, qui ad annum 153. vitam suam protractum, describit, qui prolixissima barba, ad genua usque descendente, depingitur in Misc. Nat. Curios. Germ. Decad. Ann. III. observ. 163, ubi alia quoque exempla recensentur, & occurunt apud alios similia non pauca, inter quæ notabilia valde sunt, quæ Balthasar Bonifacius Rhodiginus congeffit, Historiæ ludicræ XVIII. c. VI. ubi quæstionem illam tractat: Homone an Elephas sit vivacior. De Homericō Nestore res est nota, qui ex Pylo quinquaginta navibus contra Trojanos veniebat, quamvis altero seculo superato, ut est apud Ovidium l. XII. metamorph. Adamus Olearius in Itinerario Persico meminit cujusdam, qui centum viginti sex annos vixerit, & centesimo demum uxorem duxerit. Commemoratione digna est historia, quam refert magnus ille juris Naturæ & Gentium interpres, Sam. Puffendorff, Continuatione Introd. ad Hist. statuum Europæ p. 50. 51. Haquinus Rex Sveciæ, in somnio admonitus ut idolo Othen, quendam ex suis filiis immolaret, tunc sexaginta annos illum visturum, hoc factio, & eo tempore elapso solenne

lenne sacrificium, suo Idolo Othen instituit, ibique ipsi
hæc in somnio promissio facta est, se tamdiu vita fru-
ituruſ, quamdiu quolibet decennio filium aliquem
ex suis offerret idolo. Hac promissione fretus, ac
desiderio longæ vitæ motus, septem successive idolo
filios dedicavit, itaque senio gravatus scipioni inni-
tens, octavum quoque idolo dedit filium; præ senectu-
tis ergo onere, integrum decennium lecto incubuit,
hocque etiam decennio finito, nec nono pepercit,
quin & eum lubens pro vitæ suæ prolongatione ma-
ctandum curavit. Hoc ergo decennio instar infantis
cornu alebatur, cum & ista annorum decuria esset
finita, nulla vivendi satietas, quam miserrime etiam
viveret, ipsum cepit, sed decimum ac ultimum suæ
vitæ, ut adhuc decem anni adderentur, idolo sacrifi-
care, constituit, & procul dubio factum fuisset, nisi
hunc tanquam unicum Regni hæredem Sveci patris
manibus eripuisserint; hocque ergo sacrificio omisso
Haquinus obiit & sepultus est in quodam magno colle
Upsaliæ proximo. Hic Haquinus procul omni dubio
CLXX. annorum æstatem attigit. Pono enim ipsum
cum in somnio admoneretur, fuisse XX annorum, ei
propter immolatum filium primum adjecti sunt LX.
anni & hi faciunt LXXX, cui numero si adhuc adda-
mus XC annos, exinde resultabant **CLXX.**

§. IIX.

Requiritur autem ut ipsam illam mutationem, quæ
in illorum corpore, qui ad limen senectutis pervene-
runt, paulo diligentius speculemur. Ita enim accura-
tius, cognitis illis, quæ inclinata in senium ætate, in
corpo

corpore accidunt, an & quomodo tempestivis confi-
liis & auxiliis illi fatigentiae occurri possit, melius
apparebit. Esse autem ætatem nostram, progressum
ad siccitatem, plerique censem, adeo ut eadem jam in
senium devexa, temperamentum corporis siccum,
magis & frigidum fiat. Præterquam quod verissi-
morum plurimorum suffragia id comprobent, ipsis
sensibus hoc esse manifestum judicant, externa manu-
um ad corpus senile applicatione, actionum quæ ca-
lori tribuuntur debilitate, & perfaciли ab externo fri-
gore læsione, prout decoro acumine senium depin-
xit, sapientissimus Salomo:

— — — *Gelidus tardante senecta*
Sanguis adeſt, hærentque effecto in corpore vires.

§. IX.

Equidem calor, pro vitali corporis nostri prin-
cipio nequit haberi, ad vitalitatem minime sufficit,
aut immediate eandem tribuit, motumque illum, unde
vitæ ejusque munia dependent, in nobis efficienter
non excitat. Error enim est, tale innatum calidum
cum veteribus, aut cum Cartesio, calorem cordibus
inhærentem, vel cum Helmontio & Willisio, vitalis
ignis incendium in corde vel sangvine admittere.
Cum calor potius motus & vitalitatis effectus esse
videatur, quoniam sanguis, durante intestina illa par-
ticularum agitatione calet, desinente frigescit. Vidi
in administrationibus Anatomicis, à Cl. Dn. Præside
factis, flatu frigido, ductui thoracico immisso, in ani-
mali morti vicinissimo, & ferme extinto, cordis
motum mox restitutum, & animal in vitam revoca-
tum. Et frigida animalia, quæ ne quidem in corde

B 2

sensi-

sensibilem præse ferunt calorem, vitæ tamen actiones & effectus insigniter prodere, notissima res est. Ut ut itaque vitæ ratio, in calore præcise non consistat, quia nihilominus sanguis noster semper calidus observatur, adeoque membra solidiora, moderato suo tempore sovet; Calor ille multarum functionum corporis nostri, si non instrumentum primarium, certe causa sine qua non existit, & proinde eundem imminutum, debilitatum, suppressum in senibus functiones plurimas, ad vitam & valetudinem requisitus retardare, & vitalilio principio sensim labefactato, corpora ipsa & ejus actiones frigere mirum non est.

§. X.

Caloris ergo vigore fracto, & eliquato ac absunto humido laudabili nutritivo, frigidus & siccus status, ubi ad senium deventum, emergit. Sunt equidem qui de siccitate dubitant, ad crebros senium catarrhos respicientes, quod copiosa vappa in os saliente sputatores sint, effectæ nares muco stillent, & oculi illachrymari soleant: hoc tamen non obstante, recte senilem ætatem omnium siccissimam, & ab Aristotele senectutem exsiccationem dici, arbitror, quoniam blandum illud nutritivum gelatinosum humidum, quod corpori alendo, & partibus irrigandis reficiendisque aptum est, sensim absuntur & perit, balsamicus ille sanguinis status deficit, succedentibus acribus particulis, salsis, acidis, terrestribus, muco copioso & pituita, ad nutritionem inutili, vitalem sanguinis undam onerante, calorem supprimente, vitalemque motum impediente. Atque ita resiccatis hinc quoque essibus ipsis, collapsa multo magis musculosa & fibrosa parte,

parte, ruga senilis aret, albescit capillus & calvescit
caput, vividum colorem, nitoremque vultus amittit,
humores & tunicae oculorum flaccescunt, incurvatur
corpus, tabescit ejus habitus, & langventibus visceri-
bus, intus etiam cuncta perperam agi necessum est;
excrementitia illa humiditate, quae partes non gluti-
noso & dulci ore humectat, sed onerat easdem, arefacit,
functionibusque est obstaculo, plurimum quamvis
adaucta. Atque ob has aliasque causas factum, quod
alii ipsam senectutem non malam ætatem tantum, sed
morbum vocaverint, Galenus morbum naturalem,
Seneca insanabilem dixerit, citra tamen rationem, cum
descriptus modo senum status, & porro describendus
iis sit naturalis, sub quo actiones eorum, non ita sensi-
biliter & graviter, uti ad morbum requiritur, laedun-
tur; quia exercere functiones suæ ætati convenien-
tes possunt, & aptitudine ad illas senili corpori com-
petente, gaudent, morbos ideo non dicendi, quod ple-
ne omnibus non sufficient, alias enim de infantibus
idem judicandum foret.

§. XI.

Ut autem ulterius, quænam languentem il-
lam! & tremulam ætatem inducant, explicemus in-
vestigandum paucis est, quænam motus illius, qui
calorem efficit, & cum illo vitam conservat, causa sit.
Habet hic quoque locum Physicorum axioma: quic-
quid moverur, ab alio movetur, & non à sanguine in
cadavere superstite, proficiisci, agitatio illa & vitali-
tas viscerum partiumque omnium poterit, sed depen-
debit à subtili aliqua summe mobili & activa substan-
tia, sanguinem ipsum impellente, totique corpori

omnibusque ejus partibus vitam concedente. Sicuti ergo in prima generatione ac hominis initio, spiritus talis communicatur cum semine imprimiturque vitalium ille, & mox etiam reliquarum actionum autor, uti eleganter & vere id expressit Aristoteles de Gen. An. c. 3. cum ait: *Inest in semine omnium quod facit, ut fructuosa sint semina, videlicet quod calor vocatur, idq. non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus qui in semine sponte quoque corpore continetur.* Ita deinde idem ille vitalis spiritus, ex aëre novas recipit suppetias, & ab illo auræ influxu conservatur. Hinc animalia vegeta & robustissima in aëre viventia, simulac hujus accessus impeditur & intercipitur, languescunt subito & vitam amittunt. Quod ipsum non obscurè ipse Hippocrates prodidit dum mortalibus vitae aërem esse de Flat. t. 6. & motum membris exhibere aërem de morb. sacr. t. 8. aperte scribat; Sicuti veterum alii respirationem, idcirco animæ corroborationem, & successivam regenerationem vocarunt. Quanquam id etiam verissimum sit & omnino admittendum, congruum sanguinem & materiam, in primis viis confectam, subtilioribus & spirituosis partibus constantem requiri, ut spirituum reparatio, per intestinum sanguinis motum ab aëre inductum, fieri possit. Ad illum ergo spiritum, qui in primordiis vitae humanæ statim adeat, & materialem partem omnem actuat & vivificat, deinde vero aëre mediante ex alimentis reparatur, & per totam vitam corporalem machinam impellit, & vitalem eandem reddit, respiciendum in primis hic est. Ex hujus crasi & progenie deinceps dependet geniti corporis vigor, temperies

peries, idiosyncrasia, longævitas, prout nempe illa
seminis radicalis constitutio & activitas sese habet,
pro eo etiam in corpus indegenitum necessitate se-
minali explicantur facultates & diriguntur potentiae.
Ab hujus ergo spiritus qui vitæ hominis exstructor
est & conservator, activitate & robore, corpus nunc
robustum, nunc debile, nunc longævum, nunc bre-
vioris ævi evadere, probabile videtur. Quam senten-
tiam non parum confirmat longævitas, in nonnullis
familias quasi hæreditaria, quæ non obscuræ est argu-
mento, à seminis ipsius crasi & temperatura, & spiri-
tus præsertim cum illo communicati vigore ac robo-
re, eandem trahere originem. Deprehenderunt de
sua familia id ipsum cognati duo, Johannes Bevero-
vicius, & Gerhardus van der Laan. De Metello id
scribit Plinius, & cognitissima in vulgus res est: Lon-
gævum Patrem, boni ominis in liberis esse argumen-
tum. Quando igitur spiritus illi rectores & motores
omnium reliquarum partium deficiunt, amittuntur,
& custodiri aut reparari non possunt, languor & im-
becillitas senilis oritur, functionibus omnibus hinc de-
trimentum sumentibus & labefactatis. Vividum
enim hoc fluidum, emoriens inutilemque ser-
vappam deserens, naturalem huncce morbum, ut Ga-
lenum senectutem appellasse diximus, inducit, ut vi-
gor viscerum coquentium & secernentium exolescat,
spiritus animalis in cerebro subtilisari & confici ne-
queat, serosum, pituiosum, mucosum, terreum, ad spi-
ritus ascentiam inidoneum, poris subsidentibus in cor-
pore remaneat, & varia sénū mala efficiat.

§. XII. Ex

§. XII.

Ex his modo descriptis fontibus, senilia illa mala facile intelliguntur, quæ tot tantaque sunt, ut si quis ad illa mentem reflectat, dubiter, an optare! (quo tamen mortis aversatio plerosque abripit) senectutem velit. Exposuit plura senum incommoda Hippocrates se^t. 3. aph. 31. quibus tamen plurima alia accedunt, ut à capite ad calcern, nulla fere pars, nulla functio sit, quæ non titubare ac vacillare in aliquibus soleat. Pilorum integumento, quo ob frigidam capitum intemperiem, maxime indigerent senes, privantur, præteriorum memoria eos deserit, & ut Seneca effert, animo perforato audiunt, transmittente quicquid acceperant, adeo interdum oblivious, ut proprii etiam nominis quidam facti immemores; unde rationis etiam usus nutare incipit, & judicii acumen quod ante aderat amitti. Sensus, in primis visus & auditus hebescunt, aliquando omnes, una cum motu subito dispereunt, ut præter respirationis vestigia, nil sæpe quod de vita testetur, superfit. Vertigine corripiuntur crebro gravissima, catarrhos sunt, & serosis destillationibus ad partes varias obnoxii. Difficulter respirant ob impurum scorbuticum sanguinem, spirituumque defectum, quem senilis asthmatis sæpe causam esse, Clariss. Dn. Præses Comment. ad aph. Hipp. 31. se^t. 3. edifferit. Sanguinis depuratio per renes impeditur. Difficilis in primis fit alimentorum in ventriculo digestio, & in intestinis impuri secretio. Aliquando alvi fluxus diversigenoris invadunt, urinæ interdum adest inconnentia, ob amissum musculosarum partium robur, aliquando è contrario suppressitur. Artus, modo vagis,

gis, modo fixis doloribus, magna lassitudine fatigantur. Aliquando membra tremoribus tentantur, ut nec manus, nec pedes suo munere decenter fungi possint. Non raro intolerabilis prurigo totam corporis superficiem vexat, & scalpendi perpetuum desiderium inducit, interdum variis generis pustulis & exissionibus cutis defœdatur. Pedibus œdematosus tumor supervenit, aliaque enascuntur incommoda, quæ tædia senectutis multiplicant & mortem minantur.

§. XIII.

Sic itaque delineato senum temperamento & partium constitutione, descriptisque incommodis, quibus infestantur, eorumque fontibus & causis, studebimus illa breviter exponere, quæ ad hæc avertenda, & procul ejusmodi molestiis extendendam humanam vitam facere possunt. Neque obscurum est ex propo-positis, quo tendere illa debeant, quæ senibus emolumento sunt. Omnia enim senectutis præsidia & auxilia ad hos scopos collineant, ut 1. in publica illa culina, quod omnia demittenda sunt, quæ in esum usumque nostrum cedunt, Ventriculum intelligo, digestio alimentorum, recte peragatur 2. sanguinis blanda & nutritiva dulcedo, ac volatilitas motusque conservetur, & sic calor ille, quem tantopere necessarium esse superius diximus, custodiatur, humorumque aliorum generationes & depurationes promoteantur. In primis 3. reficiantur, multiplicentur, & roborentur spiritus; hoc enim ante omnia, ad roborandam atque recreandam senilem ætatem requiri & conducere, ex supra positis eluiscit.

C

§. XIV. De-

Debilis fit in illis qui ad senium appropinquant alimentorum in ventriculo digestio , ob multas quidem alias causas , ob masticationem imminutam , calorem minus efficacem , salivam & gastricum succum exoletum ; in primis vero spiritum paupertatem & defectum , qui succo illi ciborum resolutioni destinati , præcipuam tribuunt penetrantipotentiam . Licet vero sint alimenta optima , & culinari arte bene præparata , comminutione tamen opus habent . Vidi senes quosdam , sanitatis studiosos , molitoribus dentibus destitutos , cultello suo magna diligentia , escas & carnes in minima conscindere . Hos imitentur alii , quibus valetudo curæ est ; divisi enim sic cibi ac in ore dein diutius volutati , salivali humiditate melius imbuuntur , & ad securam in stomacho resolutionem , præparantur . Hoc firmiter proponendum animo , & servandum in vitæ regimine præceptum , senibus præser-tim , nunquam cibos abliguriendos & subito deglu-tiendos . In ipso ore incipit ciborum fermentatio & præparatio , ut chylus deinde & sanguis fiat laudabilis , quapropter hac parte non integra , & officium non recte faciente , alimentorum digestio , quæ tantopere ad sanam & longam vitam requiritur , sequi non potest . Dentes semper à Medicis & Philosophis , maxime con-siderati , adeo , nt horum Princeps longævam vitam , ex dentium numero & firmitudine , promiserit . Aliquando equidem dentium defectus , gingivarum du-ricie sarcitur , sed rarius id est , & opera danda , ut quanquam comminui in ore non recte possint cibi , saliva tamen debite imbuantur , nec unquam confer-tim

tim ob dentium defectum in ore tractati, in ventri-
culum demittantur.

S. XV.

Alimentorum mole ventriculus onerandus
nunquam, aut nimia illorum diversitate, cru-
ditatibus occasio danda, quam juvenes, exercitio
frequentius utentes, vincunt, senes gravissimis
sæpe incommodis luere coguntur. Si vitam sanam
& longævam cupiunt, simplici & paucō utantur victu;
Parcum, simplicem & boni succi victum, longævitati
conferre, nos pauperes docere possunt; præstat cre-
brius & parce cibare, quam unquam ad repletionem
alimenta sumere. Butyrum immerito imperitis su-
spectum, cum recens & dulce magnorum morborum
sit remedium, in vicu senum bonum esse, & mul-
tum alere senectutem, scribit Verulamius Histor.na-
tur. C. i. th. 54. Qualem panem senes usurpent,
etiam atque etiam videant; mille malis ansam præ-
betviscidus & fermentatione non debite attenua-
tus. Et quandoquidem talia præbere vel suade-
re, in primis senibus oportet, quæ nutritiva dulce-
dine & blanda ac molli pollent suavitate, | multum
utilitatis à sorbilibus capient ovis recentibus, ad au-
gendum quoque spirituum robur, à pluribus com-
mendatis. Lactis dulcis usum summe proficuum fu-
isse, in primis in scorbutica illorum, qui has terras
incolunt dispositione, experti sunt. Ad multos an-
nos vitam lactis potu frequenti productam, tradunt
Autores præstantissimi. *Id mirandum*, scribit pru-
dens Medicus, Thomas Sydenham, dissertatione
Epistolari ad Guilielnum Cole. quod cum lac frigidum
C 2 tantum

tantum crudumque alimentum præbeat, spiritus nihil minus ejus usu corroborentur invigorenturque. Nec tamen hoc à ratione aborrere illis videbitur, qui secum reputaverint, lac, cum simplex omnino nutrimentum suppeditet, naturæ minus in coquendo, negotium faceſſere, ſecus ac folent cibi & liquores magis compoſiti, quodque perfectissimam illam concoctionem, equalis ſanguinis ſpirituumque crasis, neceſſario ſequatur. Mellis uſus im-merito tantopere ſuceptus eſt, quod in bilem verti, & fermentescibili qualitate graviflme nocere, creda-
tur, cum tamen jam olim inter ſenectutis auxilia habitum, & tale ſit quoque. Ut enim ex illis, quæ ſuperius diximus planum eſt, quæ nutritiva dulcedine pollent, quæ vires & ſpiritus instaurant, horumque copiam adaugent, ſenibus apprime utilia ſint. Quanquam ergo Mel Juvenibus, qui calidioriſunt tem-
peramento, & acrioribus biliotis ſuccis abundant, non æque conducat, quoniam valde efficacia & agraviprinci-pia habet, propterea adeo facile fermentat, ſordes tamen & mucum in ſenibus collectū, bene abſterget. Unde po-tiones mellitæ, conueniunt ventriculo aliisque parti-bus, copioſa craffa & viſcidā pituita oneratis, quoniam depurant easdem, & materiam viſcidam in iis col-lectām, liquefaciunt, & deficienteſ in maſſa ſanguine fermentationem, denuo instaurant. Notus eſt Clariss. Dn. Præſidi Eccleſiaſtes, qui juvenilibus an-nis & poſtea vir factus, diuersa mala ſcorbutica, ar-tuum languores ac tremores expertus, in ſenectute ſanus & vegetus vixit, ex quo omni mane melle ve-ſebat. Senectutem id ipsum arcere & ſpiritus conſervare, patet exemplio Democriti, quod deſcri-
bitur

bitur à Gerh. Joh. Vossio de origine & progress. Idololatr. l. IV. Cap. 79. quo de melle pluribus agit, illudque ætatem hominis producere, edisserit Plinius lib. XXII. c. 24. *Multi senectam longam, inquit, mulsum tantum nutritu toleravere, neque alio ullo cibo, celebri Pollio Romuli exemplo. Centesimum annum excedentem, cum Divus Augustus hospes interrogavit: quanam maxime ratione vigorem illum animi & corporis custodisset? at ille respondit: intus mulso, foris oleo.* Didicerat enim hoc à Democrito qui per omnem vitam melle fuit delectatus, ac anno demum CIX. decessit ut ex Hipparcho proditum est à Laërtio Lib. IX. Tribuitur à Vossio etiam mellis esui, quod apes insestorum sola vivant in annum septimum vel etiam decimum, ut est, apud Aristotelem, Columellam, Plinium. Roborativas & nutritivas mellis virtutes, cuius saporem singularem Cic. l. 3. de finibus describit, pluribus commendat Joh. Langius, à quo in Miscell. curios: Medicis, edulium innocuum, benedictum neectar, sal naturæ, cibus medicinalis optimus, senum scipio, mel appellatur. Referenda hic forent plurima alia, quæ nutritio succo & activis partibus abundant senibus proficia: sed hæc omnia & singula, fusius proponere, scopus non est, saltēm præcipua quæ senectutem alunt, illamque ab incommodis & interitu tueruntur, indicare; Inter quæ illa eminent, quæ Marsilius Ficinus de Diæta senum recenset: *Mel inquit, cibus est senibus in primis amicus, nisi ubi bilis timetur incendium, amici datyli, ficus, passulae, amygdalæ, dulcia punica: Zizipha, sed pistacia multo magis, pinei vero nuclei omnium maxime,*

C 3

§. XVI. Mul-

§. XVI.

Multum ad integratatem Chylificationis, succendentē sanguinis confectionē & spirituum animalium in Cerebro secretionem, & per nervos influxum potulenta faciunt. Inter quae pro senili corpore, vinum eminet, adeo ut senum lac communiter dicatur, interdum tamen latro fiat. Digestio illa alimentorum quae promovenda omni modo est, sic facilitatur juvaturque, sanguis vegetus magis ac spirituosior conficitur, somnus excitatur, concidentes ac reclusi meatus aperiuntur. Quapropter ut plurimum amant senes vinum, ejusque potu impense delectantur. Hoc problema ex Plutarch. l. i. Convival. 9. 7. desumtum considerat doctissimus Melchior Sebizius de aliment. facult. l. V. probl. 127. quod senes idcirco sint οινόφιλοι, quoniam à natura ipsa, quae suæ conservationis est sitientissima, hoc iisdem insitum sit, idque propter ea, quia senes sunt frigidi, debiles, paucō sanguine & spiritu præditi, ideoque appetunt id quod ipsos calefacit, rohorat, crudum concoquit, sanguinem & spiritum bonum generat, ut actiones suas melius obire valeant. Hæc autem vini potus in convenienti quantitate, debita qualitate, & oportuno tempore præstat, & ante omnia observandum semper, ut moderata quantitate primum, debite defæcatum, non fortissimum caputque petens & nervos tentans, refractionis magis quam alitionis fine à senibus sumatur. Quod enim Fr. Valesius in Philosoph. sacr. c. 29^o objicit nihil stultius esse, quam senibus caloris augendi gratia, vinum abundantanter dare, cum vina calida à debili calore, qualis senum, non superentur, sed acescant,

acescant, unde crudus succus generetur, qui naturalem calorem opprimat & suffocet, id de vinis hispanicis fortissimis, inebriantibus, & de eorum abusu intelligendum est. Temperata autem, pura, tenuiora, quæ non calorem tantum adaugent, sed humectando, spiritusque ita vigorando, agunt, curasque delinquent, illis sunt commodissima, cum fortissima fumosas exhalationes cerebrum obnubilantia, & confusum spiritibus motum inducentia, debitumque influxum prohibentia, ad multa gravia mala disponant, & miseram magis senectutem reddant. Hinc Verulamius histor. nat. Cent. I. §. 55. ubi à spirituositate nimia & fortiori metus est, vinum combustum suadet, mobilioribus & penetrantioribus spiritibus prius evaporatis, aut alia ratione extintis. Unde veteres & præcipue Græci, ac post hos Romani vina sua, utpote generosiora, ipsique in locis calidioribus degentes, diluebant, magno ad valetudinem hinc accedente commodo, ubi tamen finis bibendi considerandus est: Si enim pro ordinario potu sumitur, dilutius accipiendum, si pro appetitu excitando, absumentisque cruditatibus, meracius conceditur, sed quantitate tali, ut ultra sphæram ventriculi & intestinorum, sanguinem non nimium commoveat & inflammet, nervos tentet, & spirituum motum perturbet. Neque enim debili ventriculo, potentissima illa vina sæpe convenient, saltem præstat in quotidiana mensa diluto uti, ne mero corpori & capiti noxa inferatur. Id vero adhuc facilius fit, si subtilissimo & penetrante acido, nervis inimico, abundant. Pejora autem adhuc sunt mustea, præsertim in nephriticis & scorbu-

scorbuticis omnino noxia , quoniam acidos , tartareos
succos adaugent , commovent , sanguinemque inqui-
nant . Quomodo nocturnus potus omnis senibus
obsit , Bartholinus in Act. Haffn . Vol . 2 . obs . 105 . pro-
ponit . Præferendum etiam in plerisque potum ca-
lidum arbitrer frigido , præsertim , si malis nephriti-
cis æger obnoxius sit , illo enim solo quidam caveri
existimant , quod Sinenses , rarissimi calculosi &
arthritici reperiantur . Quanquam si absque infusio-
ne convenientium vegetabilium , calidæ potus id fa-
cere posset , Romani quoque olim , non minus à ma-
lis illis immunes esse debuerant , quod æque sua Ther-
mopolia haberent , ut istam calidæ potionem singu-
laribus opusculis excusserunt , viri eruditissimi .
Senibus igitur , aquei potus sæpe minime damno sunt .
sed potius emolumento , præsertim tum quando ante
senectutis initium , iis assueverint , ut optime mo-
net Benedictus de Bacquere in suo senum Medico . Non
ergo suaderem , ut senex antehac cerevisia usus , aqueos
potus usurpare inciperet . Noceret enim omnino ,
præsertim languidioribus , in quibus ventriculus flac-
cidior & imbecillus , ubi potus aquei , minus crebro aut
magna copia sumendi non sunt . Quapropter salu-
tarius quoque est , spirituosas plantas , stomachicas ,
cephalicas , flores , cortices , semina , pro diversa senum
constitutione , modo hæc , modo alia , quæ specifice illo-
rum incommodis subveniunt , infundere & usurpare .
Nihil herba quam Chinenses Thee , Japonii T'chia vo-
cant , infuso salubrius , apud hos populos passim credi-
scribit Tulpius l . 4 . obs . 60 . cum ad vitam in extremam
senectutem prorogandam , tum ad impedienda quæcunq;
sanita-

sanitatis incommoda. Crediderim tamen ex aliis aromaticis & subtilium partium plantis vernaculis, aequo appropriatum saepe pro senibus infusum fieri, ex veronica, betonica, salvia, melissa, polypodii radice, ligno sassafras, ligno aloës, baccis juniperi, semine foeniculi, anisi, Cinnamomo, Croco. Vel saluberrimam potionem Coffee, magis commendandam, quæ in paucie exercitii hominibus cruditates consumit, de qua senes decrepitos id fassos esse, bonam illorum valetudinem & longam vitam ab hac potione provenisse, refert Faustus Banesius de saluberrima potionе Cahve. Etsi Willisio concesserim, usum nimium nutritionem impedire, & nervorum mala inducere posse. Quod metuendum ab illo, tantopere ad senium approximantibus utili, potu Chocoladæ, cum aqua simplici ut ingredientia calidiora & viscidiuscula, corriganter, parato, minime erit, quem ad spiritus reparandos, ad nutritionem in senibus laborantem, sustentandam promovendamque, summe proficuum existimo. Vel idcirco etiam senibus Thee infusum saepe minus congruum est, quoniam illam simul habet operationem, quam post deprædicatas illius plurimas virtutes subjungit Tulpus, quod somnum evidenter arceat, ut sorbitonem hujus decocti vel infusi assumentes, videas interdum integras noctes lucubrando consumere, ac inexpugnabilem cæteroque dormiendi necessitatem amittere. Id tamen saepe obest senili ætati, quæ requie illa animi & corporis, vires colligit, & idcirco somnum longiorem requirit, cum totius corporis omniumque functionum vigor notabiliter inde instauretur, & firmetur,

-transloc

P

ut

ut *somnus* à quibusdam *vita senum* dicatur. Non male illos fecisse arbitror, qui propter hanc rationem cerevisiae purioris & bene fermentatae potum, saltem vesperi, potibus aqueis præferunt in senibus, quod, præsertim paulo largior, ad somnum invitet, quem arcent aqua infusa. Idcirco pro vespertino potu, Timæus à Guldenklee, in Consilio Diæteticō, in senibus commendat, lacatmygdalarum cum papavere albo, ex aqua lactucæ & anethi præparatum, pediluvii simul interdum usurpatis ex foliis salicis, nymphæa, anetho, chamæmelo & capitibus papaveris, pedum plantis medulla cervina perun&tis. Possunt tamen qui aquæ potui assueverunt, iisdem porro uti & vini aliquid miscere, aut hoc parce ad conciliandum somnum superbibere, ut nihil impedimenti, huic resoluto laboribus & lasso corpori necessario levamini, afferatur, nec unquam nox vigilando & meditando transigatur, quod vires valde exhaustur, quarum conservationi tamen hic potissimum est incumbendum. De potibus autem mellitis, qui alibi frequentius usurpantur, hoc observandum adhuc est, salubres esse, si recentes non sint, alias enim stomachum nauseativa suæ dulcedinis satietae gravant & inflant, etate vero proficientes vinosi evadunt ori suaves & stomacho utiles. Calefaciunt tum, appetitumque languenter excitant, emollient, & necesse est, potum tot virtutibus præditum longævitati conferre. Ad potum pro senibus & frigidis, vini spiritum plurimi etiam commendant; & morsellum panis tosti spiritu vini imbutum, asperso saccharo commendat plurimum

Solenan-

Solenander in Consiliis, quo quotidie uti circa vesperam præsertim, multis in usu positum est, qui ad consumendam pituitam, ejusque proventum uberiorem præcavendum, id conducere, experiuntur. Plurimi Medicorum hinc extollunt magnis encomiis, calidissimum hunc ac tenuissimarum, ac maxime subtilium partium liquorem, coctiones promeuentem, & excitato nativo illo calore, evictisque cruditatibus, vivida vim spirituum vitalium recreantem, cerebrum humidius algoreque pressum, ut loquuntur, excitantem, intellectum ipsum acutem, visum clarum lucidumque conservantem, vitamque ipsam producentem, Observandum autem diligenter est, sæpe intutum esse ejus usum, præsertim quotidianum & sæpius repetitum, unde his etiam in locis plurimi suæ valetudini vim faciunt, & ante diem occumbunt. Cum periculo id in plurimis esse coniunctū, qui tantopere illo delectantur, & prætextu ventriculi imbecillitatis, in quovis ferme pastu, imo quod pessimum, jejuno ventriculo, spiritum vini hauriunt. Nocet iis sæpe in quibus stomachus debilior, flamma sic major minorem destruit, nimirum distrahit ac dissipat. ut habet de vini abusu in problematibus Aristoteles l. 3. problem. V. & spectat huc quoque probl. 58. sect. I. Nimium exsiccat corpora senilia, jam ante arida flammeus hic liquor, cum multum is supereret gradum nativi caloris; auxilia vero in mediocritate posita esse debent, ut prudenter monet Joh. Crato Cons. 106. Adeo ut nullo modo, senibus præsertim, pro potu conveniat vini spiritus, sed vinum ipsum: dum enim in vino, spiritus aliis humectantibus partibus

ad huc mixtus, & quasi freno coercitus est, corporis partes blando calore foveat, nec praecipit; sepa-
ratus vero, subito nimis in omne corpus penetrat,
caput tentat, quod fusis humoribus amplius impletur,
spiritus inflammat, vitam abbreviat. Nimium vero
adhibitus mortem saepe subitam induxit, ut observa-
tiones plurimæ apud Autores Medicos id loquuntur.
*Senes, quia spiritum vini, quem aquæ vitæ nomine appelle-
lant, immoderate sumserant, primum summopere accendi,
postea attonitos stupere, ac si opium bibissent, & stertere
ad mortem usque, multoties obseruavi,* scribit Platerus
lib. 1. observ. p. 16.

§. XVII.

Intentio non est illa omnia hic expendere, quæ ad Diætam senum pertinent, multo minus repeterem
hic generales Diætæ regulas. Quædam tamen ad
scopum proprius respiciencia adhuc adducenda esse ar-
bitror. Quoniam corpus senum languidum fit &
effictum, ut fusius in superioribus exposuimus, ani-
mum quoque saepe demittit senex, ut in mero non
raro perseveret, saltem excitatus animus ita & solu-
tus in illo non sit, interdum vox raro ipsi excidit,
immobilis sedet, meditabundus silet, unde plurimum
detrimenti vitæ ipsius principiis & causis infertur.
Propterea minime sufficit cibos, & potus, etiam appri-
mè salubres eligere ad senum conservationem, sed
omnis reliquo vitæ modus, ita comparatus esse de-
bet, ut & ventriculus alimenta digerat, & nutritivi
chylī inde confessi distributio, sanguinis confessio &
depuratio, ac spirituum in primis in capite productio,
& per nervos influxus, salvus maneat & integer.

Qua-

Quapropter etiam senibus frequentius agendum & lo-
quendum illud cum aliis est, quod lætitiae sit; quæ vero
ægritudinem afferunt, abigenda procul. Jucundi
discursus, faceta colloquia & animi relaxationes, mul-
tum senibus conferunt. Vivendum esse senibus cum
fanis & junioribus gaudentibus habet Marsilius Fi-
cinus l. 2. c. 12. & Verulamius Cent. X. Histor. nat. §.
942. scribit: *Observatum, senes qui Juvenum congressu*
frequenter se miscuerunt, conversatione non interrupta
longævos evasisse, cum spiritus eorum ex tali consor-
tio fuerint recreati. Apud recentem scriptorem An-
glum, rem hanc facetè ita declaratam, reperio: *Si*
veteri cerevisie recentem, aut vino veteri mustum
admiscueris, effervescentiam in utroque liquore con-
citabis. Nimirum novus advena, veterem hostem,
expergescit. Idem hic usi venit, quod in senum
juvenumque promiscuo conventu. Sæpe contingere
videmus, horum enim ardor & alacritas ipsos
ad hilaritatem (nonnunquam etiam ad saltus & tri-
pudia) provocant, alioquin forte tristes torpidos-
que futuros. Corporis alias motus cum hujus organa
infirmentur, solet in senibus utplurimum difficilis
esse & impeditior. Mitis tamen quamvis sit
& tardior, segni tamen otio præferendus; *Corpo-*
ris exercitium, senectutis gaudium nuncupatur, quod
Horstius in libello de valetudine tuenda, & Querce-
tanus in Diætetico pluribus commendant. Satis ve-
ro erit, ante pastum deambulando moveri, aut si per
vires id non liceat, mane in lecto diutius manere oportet.
Potest tunc etiam pannis calidis corpus frica-
ri, id enim exercitii defectum quadantenus supplet.

Desidiæ autem tempus illa quoque ætate dandum mi-
nime est, cum rectius valeant, qui operæ etiam tum
non parcunt, sed consuetis laboribus, quamdiu pos-
sunt, funguntur.

§. vi. **XIX.**

Sicuti autem eò dirigendam esse præcipuam co-
gitationem in servandis senibus, ut spiritus sanguinis
que crasis & activitas conservetur, abunde ex ante
dictis elucescit, ita facile quoque hinc patet, admo-
dum caute & magna cura ac circumspectione, reme-
dia iisdem administranda, præsertim illa, quæ vires
infringunt & ut operari possint requirunt, ac visceri-
bus vim faciunt. In senum præsidii inveniendis & usur-
pandis, ille Medici munus bene interdū explet, qui non
admovet, sed amoget remedia. Doct. Simon Pauli ubi
in quadripartito Botanico p. 824. usum illum frequen-
tem & fere quotidianum purgantium & clysterum
acriter perstringit, de suo socero Jacobo Fabricio
recitat, quod quintum supra septuagesimum annum
agens, firmaque semper valetudine utens, sed occi-
piens, tandem senectutis indeclinabiles molestias per-
sentiscere, ab ipso rogatus, indulgeret ipsi arcanum
cui Deo propitio acceptam referret, tam grandævam
& firmam senectam, severè responderit : *Diæta est
quæ senectutem alit, non multa medicamenta.* Sunt ho-
dieque qui morbis alias gravissimis, mortemque mi-
nitantibus obnoxii, postquam accuratam suique cor-
poris constitutioni, congruam temperantiam atque
diætam subierunt, ab illis periculis liberati, vitam
diutius protraxerunt. A multis notata est illa me-
morabilis historia Cornari nobilis Veneti, qui ab anno
ætatis

ætatis 25. usque ad 45. vacillanti & afflita vale-
tudine usus , cum strictissimam sibi imperaret serua-
retque diætam , à pristinis malis immunis ad annos
95. vixit , dum pro pastu non ultra uncias XII. ci-
bi , & tantum vini assumeret , hanc vero diætam relin-
quens , in pristinos morbos deuuo incideret . Atque
hæc vitæ virtusque ratio , quæ ab ipsa regionis , in
qua homines vivunt diversitate , & illorum , quæ in
cibos potusque veniunt dependet , ipsaque aëris occul-
ti vitæ cibi conditione ac temperie , multum ad vitam
sanam longioremque procul dubio confert , & veni-
entia fata retardat . Prout illa vivendi virtusque
ratio , vel vitæ fundamenta diutins conseruat & reti-
net , vel atterit aut consumit citius ; Unde evenit
homines in his regionibus viventes maturius mori ,
in aliis vitam diutius retinere . Quoniam enim nihil ve-
rius est & ab Hippocrate jam dictum , in primis homi-
nes illa lædere quæ comedunt & inspirant , mirum
non est , ubi cœlum purius nullisq; vaporibus noxiis
& sanitatem offendentibus , inquinatum , ubi alimen-
ta salubriora suppeditantur homines longius su-
perstites manere . In Tmoli montis cacumine , homi-
nes centum quinquaginta annos vivere , habet Plinius .
De Indis centenos annos prætereuntibus scribunt
alii . De Brasiliensibus quoque quadragenos super
centenos in vita persistentibus . Trans æquinoctia-
lem lineam , se populos , centum quinquaginta annos
vitæ numerantes , invenisse , tradit Americus Vespu-
tius , ille novi orbis inventor . Arabiæ felicissimoc-
olas , quinque & viginti lustris transactis , adhuc vege-
tos & robustos esse , scribunt Autores . Et referunt
fide

tiugaz

fide digni, eos, qui sublimem Athon montem in Græcia
inhabitant, longissima perfaci vita, eò quod viperi-
nis vescantur carnibus.

S. XIX.

Quænam vero therapeutica remedia senibus
optime profint & ab iis adhiberi debeant, in genere
dici non potest, cum diversa senum temperamenta,
partium solidarum fluidarumque & spirituosalium ha-
bitudines, & ad varios morbos dispositiones, diver-
sa poscant. Id vero quod in genere ante diximus, de
illis in specie tenendum est, pessime fieri, si illis reme-
diis, quæ vulgo censem vitæ conservationi tantope-
re conducere, præsertim vero evacuantibus, crebro
utantur. Num senum Venæ sectionem omnino dis-
suadeat, diu in Schola Medica controversum. Et cer-
tarunt inter se argumentis plurimis, Horatius Auge-
nius lib. de sang. missione & Alexander Massaria, illo
in senibus V. S. admittente, hoc anxie laborante, ut il-
lius sententiam infirmet. Puto autem cum discri-
mine hic esse loquendum, scilicet in senibus & ipsis
etiam septuagenariis, eam interdum institui posse
cum Galeno quidem fatetur, eò quod in illa ætate
multi bene edant, bene digerant, non multum
vero ob vitam sedentariam & otiosam iterum ablu-
mant, & proinde non pauci senes laborent sanguinis
copia, & hinc ad apoplepticos affectus etiam magis
interdum sint proclives; non sine lontica causa tamen,
& urgentissima necessitate id faciendum est, atque
hac præsentे non ad ipsam ætatem ita, quam ad virium
robur respiciendum, quod si proportionem cum re-
medio, hoc non habeat, nec mittendus facile seni est

SEN.

sanguis

sanguis. Hæmorrhoides sape cum emolumento
maximo fluunt senibus; quid ni igitur exigente ne-
cessitate iis venas aperirem? Cum sanguinis ex-
cretio quæ per hæmorrhoides fit, non differat à
phlebotomia, quam quod in illa casu, in hac destinato
confilio, vasa aperiantur. Repetere autem eandem
ut fert consuetudo, vere & autumno, aut omni Majo
mense, et si regula adeo generalis formari hic non
possit, consultum non videtur in senibus, et si id antea
fuerit factum, florentibus adhuc annis & viribus: ubi
fermentationes magis exquisitæ sunt, facilius sangu-
nis dispendium sarciri potest, in senibus non ita.
Quanquam morbi senum, præeunte hic nobis natu-
ra, fonticulos in iis excitandos esse, interdum suade-
ant, id tamen experientiam vetare censeo, ut in ul-
cusculi talis jam diu gestati clausuram, facile conser-
tiat Medicus, et si alii jactitent, sæpiissime id sine ullo se
fecisse periculo; & Helmontius de Cauter. se jussisse
scribat ultra mille fontanellas incarnari, cujus tamen
quod sciat, neminem penituerit. In scarificationi-
bus, in senectute continuandis, plurimum equidem
dandum consuetudini; sæpiissime autem multo re-
ctius omittuntur, saltem non facile tunc auspicandus
ille usitatissimus mos, frequenter illis utendi. Cucurbitulæ
vero sine scarificatione, sæpe senibus optime pro-
sunt, ad discutiendum, excitandos revocandosque
spiritus, motumque sanguinis liberiorem efficien-
dum; & quid ad soporosos etiam affectus reprimen-
dos, syncipi vel vertici cucurbitulæ cum magna
flamma valeant medicis observationibus confirmatum
est. Celeberrimus Medicus & Philosophus Hiero-

E

nymus

nymus Fracastorius , cum septuagenario major , men-
sæ assidens langueret , sentiens apoplecticum paroxy-
stum instare , post multas sibi amicas herbas , in olfa-
tum balbutiente lingua efflagitatas , amisso penitus
sermonis usu , manu s̄epe in verticem exorrecta ,
iis qui aderant , indicare voluit , ut celeriter cucurbi-
tula affectio & laboranti cerebro subvenirent ; quo
opportuno remedio , se olim Veronæ unam monia-
lum virginum curasse , adhuc meminerat . Sed re-
nequaquam à domesticis intellecta , cum alii alia adhi-
bendatum esse remedia prædicarent , frustra exspe-
ctato remedio , leniter sub noctem exspiravit . Pur-
gantia , nisi morbus quem patiuntur , hoc remedii
genus omnino ostendat & postulet , senes non usur-
pent . Vanum enim est , eorum crebro usu noxios
solum humores educi , & ita sanitatem ac vitam con-
servari . Intempestivo , frequenti & præpostero eo-
rum usu , sene&utem anteverti & accelerari , Simon
Pauli loco superius citato edisserit . Et si ullibi , circa
senum purgationem debemus esse cauti & circumspe-
cti , cum nec lenia & blandiora semper tuta sint , si
ventriculus præsertim debilis & flacidus sit , ac hu-
mor chylificans debitam non habeat efficaciam . Ubi
multo minus vomitoria conducunt , cum succi cibos
confidentis inertia à spirituum animalium defectu
emetis non corrigendo , sed augendo , provenire in
sanibus soleat , proinde in hac ætate , in primis fidissi-
culter vomato , vomitoria danda esse vel nunquam , vel
certe rarissime , persvasis sum ; Contradicit enim de-
bile caput & pectus , viresque languidores vehemen-
tissimæ illi evacuationi impares . Odi illam sanandi
methodum

methodum, quæ efficax quidem, intuti tamen & anticipitis effectus est, præsertim ubi securiora suppetunt; qualia ad molliendam alvum & blande purgandam, sunt enemata, sénibus commendatissima, quæ multa eorum incoymoda præcavent, & depellunt, et si nutrientium clysterum, quando in sénibus nutritio deficit, usum nullum esse arbitrer, adeo ut quicquid J. C. Claudinus l. de ingress. ad infirmos, & alii opinentur, mihi semper placuerit Helmontii de illis judicium, qui intolerandæ stupiditatis argumentum, nutrientes ejusmodi clysteres nuncupat. Et quanquam sudationes fortes sénibus sunt adversæ, si tamen transpirabile corpus, & poros apertos magna diligentia seruaverint à plurimis malis erunt turiores. Et hoc ipsum, calida illa infusa, aquea, diluentia, superius laudata, subinde assumta, optime præstabant, quæ simul diuretica vi agent, & acrem sanguinis ichorem, ex toto corpore per renes & vesicam educent. Habent autem hoc præ aliis evacuantibus, per diuresin moventia, quod sine virium notabili deperditione operentur, & sanguinem purificant. Inter evacuantia particularia usitatissimum, nec sensibus interdicendum, est Tabaci fumus, hoc enim qui assueti præserim sunt, cum sanitatis emolumento utuntur. Is enim minime totus rursus efflatur, sed particulæ plurimæ cum aëre pulmones subeunt, sanguinique ad sinistrum cordis ventriculum ituro admiscentur, aliae cum saliva in ventriculum & intestina detruduntur. Penetrantisimo suo sale volaitli, polychrestum Tabacum, Herva Santa, G. Pisone scribente, Lusitanis appellatum, ad corporis intimos recessus cum humoribus exit, visci-

viscidumque incidit & attenuat, obstructa referat, succororum motum promovet, & illam malorum in multis senibus lernam, scorbutum corrigit, ad quem corrigendum tale remedium, quod quotidie sine nausea assilimatur, cuiusque efficacia ad longè remotos locos se extendat, pituitam liquefaciat & consumat, requiritur. Sangvinis turgescentiam ac circulationem promovendo, & hinc spirituum quoque proventum augendo, lassitudines, somnolentias, senibus familiares tollit, doloresque partium præterea placat, & catarrhis quibus senes obnoxii sunt, solatum maximum præbet; sensoria etiam præsertim jejuno stomacho usurpati sumi Tabaci suctus, aperit & confortat. Caveant autem senes diligentissime, ne continuato immoderato usu sanguinem nimia acredine inficiant, pulmones laedant, & sic in remedio morbos reperiant. Quod fiet facilius, si inter vina & spirituosos liquores, inter cibos aromatibus multum conditos, saluberrimum hoc serum remedium usurpent, id enim sanitatem & vitam non conservabit sed volatile illud sal, tanta copia introsumtum, nimium exsiccat, vitamque illorum destruet.

§. XX.

Inter alterantia, quæ ad senum præsidia spectant, primo loco poni merentur juscula, pro corporū diversitate, variis floribus, herbis, radicibus, æstivo præsertim tempore medicata. Plane id approbo, quod hodie iterū frequentius à nonnullis introducitur, qui integrum curam ad sanguinem mundificandum, digestiones promovendas, nutritionem instaurandam, spiritus roborandos, jusculis medicatis instituunt. Hæc enim juscula restaurantia recte parata absque ratione fine

sine discriminē irridēntur & proscribuntur à Zwelffe-
ro, cum accommodatissima sēpe sint, ad humores sen-
sim alterandos, temperandamq; illorū acrimoniam, &
in debiliōri ventriculo, pro humectandis & nutrien-
dis sēnibus, refocillandisque viribus; præsertim, quo-
niā medicamenta talia alimentosa, palato & stoma-
cho non ingrata sunt, si recte parentur, & proinde
diutius absque nauseabundo aliis conjuncto fastidio,
continuari possunt. Opiata, quanto felicius juvant
recte administrata, tanto etiam insignius nocent si
imprudenter adhibeantur. Et sicut omnibus extreme
debilitatis gravissime obsunt, ita in summo senio ab
ejus usū desistendum est. Etsi minime putem omnī-
bus sēnibus illa deneganda, præsertim, ubi respiratio
adhuc libera, pectus anhelum non est, & vires con-
stant, dolorque tum vehemens sēnem invadit, is
enim valde & diu dolere non poterit citra magnum
periculum, ad quod propellendum, mature vel opia-
ta vel papaverina, sēnibus etiam magno cum fructu
usurpabuntur. In genere alias hic etiam notamus,
Cordialia ita dicta, & præsertim volatilia, spirituosa,
stomachica, cephalica & neruina, sēnibus esse, op-
portuno usū, amica. Inter hæc excellit, & ad sēnum
valetudinem, & vires conservandas, prolongandam
que vitam à plurimis extollitur Ambra. Vitam in
immensum producere ambram scribit Hieronym.
Cardan. de sanit. tuenda; & Illustris Verulamius re-
fert Pharmacopœum quendam Calecutiæ ex usū
ambrae, ad centum & sexaginta annos vixisse, atque
Nobiles, in Barbaria ex ejusdem usū longævos repe-
riri, cum plebs brevioris sit ævi. Proinde bene con-
cludit Celeberr. Wedelius Dissert. de Ambra.

E 3

Non

*Non vereor afferere, substantiam ambræ tenuiorem, cum
seri & sanguinis nostri subtiliori balsamo & flore mirum
quantum symbolisare. Hinc enim est procul dubio, quod
ad languentium & senum præcipue vires restaurandas, vi-
tamque prorogandam, vix parem ambræ medicinam in-
venies. Utut autem pro senibus divitibus, summum
præsidium ambram esse concedamus, attendenda ta-
men peculiaris quorundam naturæ proprietas, esse
nimirum in quibusdam rarius ac sensibilius aeruosum
genus, ambram non ferens, sed quod eius usu, præ-
sertim nimio & crebro, manifeste offenditur, imo ad
gravissimos capitisi affectus, disponitur.*

s. XXI.

Mentio fit apud Autores, aliorum quoque reme-
diorum & secretissimorum etiam arcanorum, quo-
rum usu in senibus id liceat obtinere, ut non tantum
terminus ille, qui temperamento & radicali vitæ con-
stitutioni est conveniens & proportionatus sine ab-
breviatione attingatur, sed etiam ultra periodum illam,
quæ ratione roboris vitalis & temperamenti homini
competit, vita promoteatur. Neque enim id Diæ-
tam efficere posse, ut naturaliter etiam constitutum
vitæ terminum extendat, quilibet agnoscer, adeo ut
frustra Claudio Deodato in Valetudinario suo la-
boret per sola media Diætistica, vitam integre & salu-
briter ad 120. annos producendi rationem ostendere.
Et huic fini etiam non satisfaciat Methodus vi-
gore & longævitate fruendi E. Maynwaringi Angli;
sed quæ sita sunt talia præsidia, quæ basin vitæ
ipsam, illiusque è semine prognatum fundamentum
respiciant & peculiari modo ab interitu diutius custo-
diant,

nova

diant, quale in ambra quoq; nos habere, recentissimi et. iam docent de qua Exc. Wedelius c.l. scribit : *Ex adum
ambræ cum natura symbolisum & harmoniam esse, ut enim
oleum flammæ oblatum illam nutrit & sustentat; sic ambræ
sulphurea & oleosa substantia, luculam vitalem serenat
& roborat, seu balsamum & spiritum ejusque defecatum
vel energiam instaurat.* Scilicet , non de illis nobis
sermo hic est præfidiis, quæ ad Diætam spectant, aut
morborum causas auferendo , cadenti ætati subve-
niunt : sed quæ peculiari modo, ipsam vitæ causam , in
omnibus hominibus tueruntur, ejusque extinctionem
diutius præcavent. Cardanus passim tum in libris
de subtilitate, tum de rerum varietate afferit, vitam &
inoffensam valetudinem , in centenos aliquot annos,
produc posse, certis quibusdam medicamentis, ubi
inter alia aquam fieri posse contendit, qua vita mor-
talium in multa secula protrahatur. Alii ex viperis,
alii ex Ceruo talia petivere. Alii Cedri lignum, alii
Terebinthum , alii Juniperum , alii alia vegetabilia
prohibere senium , & mortales longævitatis reddere
participes existimarunt. Alii ex rore, alii ex gem-
mis & nobilioribus metallis , remedia ad vitam lon-
gam parare studuerunt; sed sæpe ex præjudicio aliquo,
peculiarem illam efficaciam in his subiectis hærerere &
inde elici eandem posse, suspiciati sunt : quod nempe
spiritus mundi concentratus in illis hæreat , ut de
rōre sibi persuadent; quod quæ animalia ipsa diu vi-
vunt , imo depositis exuviis & abjectis cornibus, suc-
crescentibus novis, veluti rejuvenescunt, ad renova-
tionem vitæ quoque hominis faciant, quod illa subje-
cta, è quibus remedia ista ad vitam longam petuntur
diutissi-

diutissime ab interitu & corruptione servantur. Has
vero imbecilles esse consequentias, nemo non videt.
Mira illa sunt, quæ à scriptoribus, in primis Chemicis,
de his arcanis ad vitam longam remediis, occurunt.
Stupendo miraculo se expertos esse efficaciam Dauræ
à Paracelso in tr. de vita longa mirè decantatae scri-
bunt, quam Hellebore nigri folia esse suspicantur. De
Cedro arbore, corruptionis experte, & arbore vitæ
succedanea, multa prodidit Helmontius tr. arbor vi-
tæ; & de stupenda Cedri durabilitate plura addidit
Joh. Bapt. Porta in Phytognomia. Ob illam horum
corporum æternitatem, Pythagoram monuisse, Deos
honorandos Cedro, Lauru, Cupresso, queru & myr-
to, ex Jamblico allegant; scribitque de Cedriæ virtute,
defuncta corpora diutissime conservandi Dioscorides,
qua de causa mortuorum vitam aliqui eam appellavere.
Quandoquidem vero è Syria & Libani mon-
tis vertice difficulter petitur, de succedanea planta
fuerunt solliciti, quam, ut scribunt, pietate moti re-
velant, & cum Joh. Bapt. Porta Juniperum esse, affir-
mant, quam idcirco Germanis Wacholder quasi
Wachsam Alter / Weck-Alter oder Wacker Alter dici
contendunt. Paracelsi & Helmontii promissionibus
inducti, anxie liquorem alcahest, ut remedium pro
vita longa adipiscerentur, invenire conati sunt, cui
Paracelsus attribuit virtutem, non tantum restauran-
di ita dictum calidum nativum & humidum radica-
le, sed etiam novum hepar substituendi, in locum de-
perditi & corrupti. Plurimi vero in Philosophorum
lapide, & ipso auro, vim illam non prolongandi tan-
tum vitam, sed rejuvenescientiam procurandi hærere,
firmiss-

firmissime crediderunt , è quo celebre est Paracelsi medicamentum , alia plura ad longævitatem commendata recipiens , quod in afflitorum hominum solatium (ut equidem scribit) integre publici juris facit , & candide propalat Joh. Tackius, in Chrysogonia animali & minerali. Ipsum tamen Paracelsum , sibi & aliis prorogationem vita tantis ausibus promittentem , ætatis anno duo de quinquagesimo inchoato , obiisse Salisburgi & ibidem sepultum esse , est in confessio , de quo plura huc spectantia , habet Immortale Acad.Juliae Lumen , Herm. Conringius tr. de Hermetica medicina. Quæstionem vero hanc an possibile sit hominem senio confectum rejuvenescre , pluribus egregie pertractat Caspar à Reies , Elys. camp. jucund. quæstionum. Q. 26. nos enim de his nunc pluribus agere , supersedemus. Hanc tamen si de & notatu dignam historiam addimus , quæ consignata est à Joh. Petro Lotichio lib. 4. obs. 2. de sene debili ac morbo , lectoque affixo , cui è longo morbo non solum barbæ & capitis pili deciderant , sed epidermis quoque discussa & ablata est , qui novam interea comam , barbamque novam ac fulvam induit , color faciei & reliquæ cutis floridus apparuit , corpusque omne antea à senio & morbo languidum , tanto roboris incremento confirmatum est , ut cum uxore juvencula , ipse tanquam juvenculus ac libidinosus convixerit , ac verius , quam fallax illa Ovidiana Medæa recoxit Æsonem , fortis evaserit , senectamque omnem deposuerit. De foemineo sexu illa quoque est admirabilis , quam ex Valefco de Taranta Mons-peliense , Marcellus Donatus & Schenkius adduxerunt.

F

Descri.

Describit illam Tarantam, in Practica, quæ alias Philonium dicitur, sequentibus verbis: *In quodam monasterio, in loco qui dicitur Monuerus, fuit quædam Priorissa, cui per multum tempus propter senectutem defecerunt menstrua, & tempesti vi venerunt in vertice cani. Omnes fere excidere molares: uberum vero parum, aut nullum apparebat vestigium, & rugæ in facie profundissimæ apparebant. Factum est itaque, ut quicquid de capillis & pilis oriebatur & crescebat, totum nigrum pullulabat, & exhibant dentes & molares, sicut mos est in infantibus fieri, sic etiam oriebantur menstrua, ac ut in juvenulis abundantanter fluebant. Mammilla vero velut in virginibus fuerunt elevatae montosæ, rugæ evanerunt & facies pulchra in tantum, quod illa honesta & religiosa monialis Priorissa verecundabatur, & vixit per multum tempus in religiosa vita, & hoc fuit quasi mysterium raro contingens.*

§. XXII.

Utut ergo vitam per aliquot annos prolongari posse, & in viridi ac vegeta senecta homines conservari, præsidis à medicina suppeditatis, abunde in superioribus fassili simus: nulla tamen talia inveniri & excoigitari poterunt medicamenta, quæ in aliquot centenos annos vitam possint extendere, principiorum enim vitalium vigor pedetentim sponte remittit, ac tandem evanescit, nobisque è sacro Codice constat, pœnæ divina inevitabilem omnibus hominibus morte imminere, adeoq; *ad agasias* ipsi procurari nullo modo posse; ut frustrensum, imo ridiculum sit, immortalitatis

ratis remedia velle polliceri , quale Galeni tempore ,
ab Ægyptio quodam Philosopho promittebatur , &
fuisse apud veteres Ægyptios aliquid jaſtatum de
pharmacō ^{dōcavias} est apud Diodorum Siculum .
Diligenter præterea hic observandum esse puto
(ut temeritas & vanitas etiam Alchimicarum
promissionum , in vita producenda patescat) Utut
vitale corporum principium diutius conservari per
certa medicamina possit , illiusque vigor & motus
diutius custodiri , ipsas tamen fluidas corporis par-
tes , sanguinem & spiritus irrequieto & perpetuo suo
motu , corpora nostra successivo æstatum decursu , ita
immutare , partesque solidas atterere & infirmare , ut
ruinosam illam machinam , tandem penitus debilitent ,
conficiant & corrumpant , ut præsentibus quamvis
motoribus illis , aptitudinem tamen & potentiam suam
operandi ob organorum mutationem non inveniant ,
ut ita sensim sensimq; omnium actionum & facultatum
corporis robur frangatur , tandemq; plane pereat ; eo-
dem modo , atque automata diu usurpata , & longo
usu labefactata , licet principio motus & pondere ma-
nente ; segnius tamen suum peragunt officium , qui-
escunt & omni actione tandem privantur . Quemad-
modum annosa quercus , ventis , pluviis , nivibus &
cunctis tempestatum injuriis diu exposita , tandem ari-
da fit , sterilescit & moritur ; non quod vitæ alimen-
tum , & fluidum illud impellens desit , utpote quod
terra promte porro elargiretur , sed quod radicum , fi-
brarum , tubulorum vasorumq; , textura , per quæ suc-
cus alibilis fertur & arborem nutrit , ad vitam illius ulce-

rius producendam facta fuit inidonea. Eodem modo
humanorum viscerum , ac organicarum partium to-
num ac robur , per diutinam exagitationem sensim
destrui , mirum non est. Quemadmodum vero
fragile hoc immortalis humanæ animæ habitacu-
lum , ingravescente ætate, sensim consumitur , ac
viribus amissis , naturali sua propensione , ad inevi-
tabilem vergit interitum : sic ista in corpus conjecta ,
divinæ auræ particula , longinquitate temporis nil
quicquam patitur detrimenti , sed in illis , qui recte
& mature ad vitæ exitum se disponunt , tanto se sentit
erigi altius , quanto ad hujus vitæ terminum acce-
dit proprius . Sic ergo ordinandus est dies omnis
scribente Senec , ep. 12. tanquam cogat agmen &
consumet , atque expleat vitam ; ubi describit Pacuvium
qui sibi ipsi dum viveret , exequias fecit , sed addit ;
Hoc, quod ille ex mala conscientia faciebat. nos ex bona
faciamus . & in somnum ituri , lati hilaresque dicamus :
Vixi , & quem dederat cursum fortuna peregi.

Sed eredo ad æterna & mansura animo , spreta terrena-
rum omnium rerum amara dulcedine , inconclusa fi-
ducia , mortem , miseriarum finem , exspectemus , quan-
do depositis in pulverem redeuntibus exuviis , animæ
nostræ , veluti naves , cœlestibus divitias onustæ , in
placidissimum perpetuæ quietis & tranquillitatis
portum educentur.

F I N I S.

• 8) o (80


Helen Stedt, Diss., 1697/98



S6.

KDNA

Farbkarte #13



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

O MEDICA INAUGURALIS
DE
**ACTUTIS
AESIDIIS** 1699, 6
Q V A M
E SUMMO NUMINE
UTORITATE AMPLISSIMI
IN ILLUSTRI ACAD. JULIA
ORDINIS
P R E S I D E
O CLARISSIMO
ICO SCHRADERO,
DEMQUE ET PHILOSOPHIÆ
FESS. PUBL. ET ORD. FACUL-
IEDICÆ HODIE DECANO
SPECTABILI
P RÆCEPTORE SUO OMNI
SERVANTIAE CULTU ÆTA-
PROSEQUENDO.
LICENTIA
TE MEDICA, HONORES ET
A DOCTORALIA RITE
ONSEQUENDI
VI ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT
HENRICH BLUME
iclus Blancoburgensis.
MAGNO JULEO
NTE ET POMERIDIANIS
I. V. DECEMBR.
EL MESTADII,
GANGI HAMMI, Acad. Typogr. 1699.

49.

19